

Ioannes 14:8-17

⁸ dicit ei Philippus Domine ostende nobis Patrem et sufficit nobis

⁹ dicit ei Iesus tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me Philippe qui vidit me vidit et Patrem quomodo tu dicis ostende nobis Patrem

¹⁰ non credis quia ego in Patre et Pater in me est verba quae ego loquor vobis a me ipso non loquor Pater autem in me manens ipse facit opera

¹¹ non creditis quia ego in Patre et Pater in me est

¹² alioquin propter opera ipsa credite amen amen dico vobis qui credit in me opera quae ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet quia ego ad Patrem vado

¹³ et quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam ut glorificetur Pater in Filio

¹⁴ si quid petieritis me in nomine meo hoc faciam

¹⁵ si diligitis me mandata mea servate

¹⁶ et ego rogabo Patrem et alium paracletum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum

¹⁷ Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere quia non videt eum nec scit eum vos autem cognoscitis eum quia apud vos manebit et in vobis erit